



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 115. Constantinopolis a Turcis capta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

hostem animaret, vel quia primo animi **Sæcul. XV.**
 motu abreptus esset, cui refrænando de- **A. C. 1453.**
 sperationis violentia in ejusmodi eventibus
 impar est.

Addit Ducas, quod quidam Turca
 Constantino, quem haud noverat, pri-
 mo vultum acinace suo, demum repetito
 ictu occipitium dissecuerit, atque ex eo
 vulnere Cæsar super suorum, hostiumque
 cadavera mortuus ceciderit. Ceterum
 Constantinus hujus nominis decimus
 quintus erat Græcorum Imperator, ac
 ultimus Orientalis imperii, quod a Con-
 stantino Magno, qui in quarto sæculo die
 decima nona Maji Anno Christi trecen-
 tesimo tertio Constantinopolitanam Ur-
 bem condidit, supra mille centum vigin-
 ti tres annos tenuit. Vixit Constantinus,
 ut Phranzes testatur, annos quadraginta
 novem, menses tres, dies viginti. Oc-
 cisi corpus Mahometes quam studiosissi-
 me inquiri jussit, quod etiam, cum inven-
 tum esset, summis honoribus imperatoria
 Majestate dignis sepeliri curavit.

§. CXV.

Constantinopolis a Turcis capta.

Imperatore fati functo Christiani in urbe
 arma posuerunt, & Turcæ ex illa parte,
 quæ portum respicit, eodem tempore civi-
 tatem ingressi sunt, quo ceteri terra per

*Æn. Sylv. de
 Europ. c. 7.
 Et epist. 131.
 155. 162.
 Naucler. ge-
 ner. 49. p. 477*

Sæcul. XV. portas irruentes, & Græcorum reliquiis
A.C. 1453. a tergo instantes, immanem cædem fe-
 cerunt. Tumultuabantur Turcæ solido
 triduo in Christianos indomita profus,
 ac abominanda crudelitate, nec corpori-
 bus quidem mulierum vis ac libido par-
 cebat; nec ulla facies mali deerat, cum
 per omnes ordines, ætatesque victoris
 crudelitas ac licentia vagaretur, unoque
 interitu sacra profanis miscerentur, nec
 habito conditionis aut status discrimine
 urbis incolæ, ut quemque casus & fors
 objecisset, trucidarentur. Verbo, Barba-
 ri in primo suo furore plusquam quadra-
 ginta Christianorum millia peremerunt,
 ac demum Græcorum sanguine satiati,
 ut avaritiam quoque suam explerent, se-
 xaginta hominum millia & amplius in
 captivitatem abstraxerunt, & modico
 pretio velut mancipia vendiderunt, quo-
 rum tamen plures postea auro liberta-
 tem suam redemere. Nil reliquum erat
 immani Barbarorum sævitiae, quam ut
 ipsam quoque urbem in cineres redi-
 gerent, id tamen, ne attentarent, seve-
 rissime prohibuit Mahometes, qui urbe
 integra, & non ruinis tantum potiri vo-
 lebat.